



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, ac de ineffabili mysterio Incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. I. Vtrum priùs fuerint assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas, & anima Christi priùs fuerit unita Verbo , quàm corpus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ciebus vini, nisi propter unionem ad sanguinem, ut ex eodem Tridentino ibidem colligitur: Ergo sanguis Christi in triduo mortis mansit hypostaticè Verbo Divino unitus.

164. Confirmatur: Ideò corpus Christi & anima in triduo, adhuc disjuncta inter se, erant unita hypostaticè Verbo Divino, quia erant partes humanitatis ipsius, quam iterum debebant componere in Christo glorioso, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 1. quæstionc. 3. ad 3. At etiam sanguis in passione fusus, erat pars humanitatis, quam iterum in Christo glorioso debebat componere, cum corpus Christi post resurrectionem deberet esse integrum & perfectum: Ergo sanguis in passione fusus, mansit in triduo Verbo divino hypostaticè unitus.

165. Ex quo facilè intelliges, cur sanguis Christi in circumfisione fusus non manserit Verbo Divino unitus, benè tamen ille quem in passione effudit; cum enim sanguis in passione fusus, à Christo reassumendus esset in resurrectione, propter integritatem sui corporis, debuit in triduo manere Verbo Divino unitus, sicut propter eandem rationem caro & anima tunc manserunt eodem unita: è contra verò cum sanguis in circumfisione fusus, non fuisset ab ipso reassumendus in resurrectione, utpote ad integritatem sui corporis minimè necessarius, non debuit post separationem à corpore, manere Verbo Divino hypostaticè unitus.

166. Idem cum proportione de præputio in circumfisione abscisso dicendum est, nam illud non fuisset unquam postea corpori Christi confertum, ac ne post resurrectionem quidem, constat tum ex revelatione S. Birgittæ, quam supra retulimus, tum ex variis narrationibus quæ de eo præputio, ejusve particula quapiam, certis locis nunc asservata, circumferuntur in sacris historiis: Illud enim Romæ in Basilica Lateranensi, eo loco, què vocat *Sancta Sanctorum*, extare scribit Innocentius III. lib. 4. demyst. cap. 20. nihil tamen definire ausus. Gerfo part. 4. serm. in festo Paschæ, ait vulgo referri Christi præputium Parisiis in palatio, & Brugis (nempe per partes) asservari. Rursus Franciscus Costerus meditatione 4. ex 50. quas de vita Deiparæ edidit, testatur urbem Antuerpiensem, priusquam à Gensis hæreticis anno 1566. occuparetur, hoc thesauro gloriatam esse. Anicienses quoque Christi Domini præputium inter sacras reliquias visendum exhibent, ut scribit Odo Gissæus lib. 1. historiæ Aniciensis cap. 17. Tandem idem Author visa à se scribit per antiqua monumenta Abbatæ Conquensis, in diocesi Ruthenensi, quibus narratur conceditum à Carolo magno ei Abbatæ præputium Christi. Sed quidquid sit de loco ubi sacrum illud pignus asservatur, omnino ex tam multis narrationibus effici videtur, Christi præputium in circumfisione abscissum, nunc in terris retineri: ut enim omnes illæ narrationes rejiciantur tanquam falsæ, nec Christiana modestia finit, nec miracula in huius rei confirmationem divinitus patrata permittunt.



## DISPUTATIO X.

De ordine assumptionis.

Ad quæst. 6. Divi Thomæ.

Consideratis duobus extremis unionis hypostaticæ, nimirum personâ assumente, & naturâ assumptâ, agit S. Doctor quæst. 6. de modo assumptionis, quantum ad ordinem, seu de ordine quo Verbum Divinum humanitatem & partes ejus assumpsit: Circa quod pauca occurrunt dicenda, quæ sequentibus articulis expediemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum prius fuerint assumptæ partes humanitatis, quam tota humanitas, & anima Christi prius fuerit unita Verbo, quam corpus?

## §. I.

Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur.

Suppono primò, non esse quæstionem de prioritare reali durationis, seu temporis, sed solum de prioritare naturæ; nam de fide certum est, animam, corpus, & humanitatem, simul tempore fuisse assumptâ à Verbo, ita ut nec anima prius tempore quam corpus, nec corpus prius quam anima, neque anima & corpus, prius quam humanitas ex illis constans sint assumptâ, sed simul & in eodem instanti in quo fuit producta in Virginis utero Christi humanitas, seu in quo fuit creata anima Christi, & unita carni, unde resultat ipsa humanitas, fuerunt hæc omnia assumptâ. Quare Concilium 5. generale can. 2. proscrubens errorem Origenis, qui dicebat Christi animam fuisse cum cæteris animabus initio mundi creatam, atque suis operibus meruisse uniri hypostaticè Verbo Dei, illic de facto fuisse unitam, antequam ipsius carni in visceribus B. Virginis conjungeretur, sic ait: *Si quis dicit aut sentit, animam Domini præexistisse, unitamque esse Deo Verbo, ante Incarnationem & natiuitatem ex Virgine, anathema sit.* Eundem errorem impugnat S. Thomas hic art. 3. ex eo quod inde sequeretur quod anima Christi aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo, & sic cum fuisset à Verbo assumptâ, vel non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta esset subsistentia animæ præexistens, quorum utrumque est inconueniens.

Suppono secundò, esse hic sermonem de prioritare naturæ secundum ordinem executionis, certum enim & indubitatum est, totam naturam humanam, ordine intentionis, prius naturâ fuisse assumptam, quam partes: Nam ut ait S. Doctor hic art. 5. *Secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum, & per consequens totum quam partes.* Quæ ratio potest sic proponi, & magis illustrari. Ordine intentionis illud fuit prius naturâ assumptum, cujus assumptio fuit per se prius intenta: At primò intenta

fuit assumptio humanitatis, quam partium; in hoc enim mysterio per se primo intentum fuit ut Verbum fieret homo; quod verò partes fuerint assumptæ, ideò fuit, quia ad componendam humanitatem sunt institutæ: Ergo ordine intentionis tota humanitas priùs fuit unita, quam partes. His præmissis.

Dico primò, ordine executionis priùs naturà fuerunt assumptæ à Verbo partes humanitatis, quam tota humanitas.

3. Probatur primò conclusio ratione fundamentali. Eodem modo comunicata fuit subsistentia divina (mediante quâ facta fuit assumptio) toti humanitati, & ejus partibus, quo eis convenit subsistentia humana eis connaturalis: Sed subsistentia humana in ordine executionis priùs naturà convenit animæ rationali, deinde corpori cui unitur per informationem, & denique toti humanitati ex utroque resultanti: Ergo ordine executionis priùs naturà fuerunt assumptæ partes humanitatis, quam tota humanitas. Major patet, nullum enim est fundamentum invertendi in assumptione humanitatis ad Verbum, modum & ordinem naturalem, cum non sint multiplicanda miracula sine necessitate, & gratia non minùs abhorreat à superfluo, quam natura. Minor verò probatur ex D. Thoma 1. part. quæst. 76. art. 1. ad 5. ubi ait: *Anima illud esse in quo subsistit, communicat materia corporali, ex qua & anima intellectiva fit unum: ita quod illud esse quod est totius compositi, est etiam ipsius anima; quod non accidit in aliis formis quæ non sunt subsistentes; & propter hoc anima humana remanet in suo esse, destructo corpore, non alia formæ.* Et de spiritualibus creaturis art. 2. ad 3. *Habet (inquit) anima esse subsistens, in quantum esse suum non dependet à corpore, utpote supra materiam corporalem elevatum; & tamen ad hujus communionem recipit corpus, ut sic fit unum esse anima & corporis, quod est esse hominis.* Item in 1. dist. 8. quæst. 5. art. 2. ad 2. hæc scribit: *Anima sine dubio habet in se esse perfectum, quamvis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ipsius, nec per conjunctionem corporis efficitur ibi aliquid aliud esse, imò hoc ipsum esse quod est anima per se, fit esse conjuncti; esse enim conjuncti, non est nisi esse ipsius formæ.* Quibus verbis S. Doctor aperte docet, subsistentiam humanam priùs naturà convenire animæ rationali, quam toti humanitati. Ratio etiam id suadet, nam anima rationalis fit per creationem: Ergo per illam accipit esse subsistentiæ, & non per generationem: Sed per hoc quod unitur corpori, non amittit illud esse, aliàs frustra produceretur à Deo per creationem: Ergo priùs naturà subsistit, quam unitur corpori, subindeque priùs naturà illi convenit subsistentia, quam toti humanitati.

4. Probatur secundò conclusio: Per animam rationalem constituitur humanitas in esse humanitatis, & consequenter in esse assumptibilis: Ergo est medium quo humanitas fuit assumpta à Verbo, quam tota humanitas. Similiter corpus est causa materialis constituens humanitatem: Ergo etiam est medium quo tota humanitas unitur Verbo Divino. Probatur Consequentia, quod enim constituit humanitatem in ratione totius, reddit eam in suo genere aptam ut completè subsistat: Ergo etiam ut alienà subsistentiâ personam constituyente terminari possit.

5. Tertiò suaderi potest conclusio hac ratione. Ordo intentionis & ordo executionis in essentia-

A liter subordinatis (qualiter sunt partes & totum) opposito modo se habent, ita ut quod est primum in intentione, sit ultimum in executione, & e contra: Ergo cum in intentione priùs sit assumpta humanitas, quam ejus partes, ut supposit. 2. ostendimus, in executione priùs assumptæ sunt ipsæ partes, quam tota humanitas.

Dico secundò: Verbum divinum priùs naturà assumpsit animam, quam corpus. Ita S. Doctor hic art. 1. ubi sic ait: *Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliquantulum causa carnis unien- da Filio Dei: non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet quod sit caro humana.*

B Ratio etiam suffragatur: Illud enim fuit priùs naturà assumptum à Verbo, quod priùs habuit per illud subsistere & existere: At anima priùs naturà habuit à Verbo quod subsisteret & existeret, quam corpus: Ergo anima priùs naturà fuit assumpta à Verbo, quam corpus. Major patet, Minor probatur. In assumptione humanitatis Verbum Divinum, ut supra dicebamus, servavit, quantum fieri potuit, ordinem qui in generatione hominis servatur, quia non sunt multiplicanda in hoc mysterio miracula sine necessitate: Sed in generatione hominis anima rationalis priùs naturà subsistit, quam corpus, ut ex supra dictis patet, & demonstrari solet in Philosophia: Ergo anima Christi priùs naturà habuit à Verbo quod subsisteret, quam corpus, subindeque priùs naturà fuit assumpta, quam corpus.

C Sed querunt hic aliqui, an illa fuerit priùs assumpta ut quod, vel solum ut quo?

7. Respondeo breviter, hanc difficultatem pendere ex alia quæ in metaphysica agitari solet, an scilicet anima rationalis actu unita corpori, subsistat ut quod, vel tantum ut quo? In cujus resolutione divisi sunt Theologi, aliis partem affirmativam, aliis negativam tenentibus. Sed pro conciliatione utriusque sententiæ,

D Advertendum est, dupliciter aliquid posse dici subsistere ut quod, Primò prout idem est ac existere per se separatim, ut frequenter docet S. Thomas; & in hoc sensu anima comunicata corpori, non subsistit ut quod, cum sit in alio tanquam pars in toto. Secundò dicitur aliquid subsistere ut quod, quia non dependet ab alio ut à subiecto, vel etiam ut à principio formali essendi; & hoc secundo modo anima rationalis, etiam ut conjuncta corpori, & ipsum informans, subsistit ut quod, quia habet esse independens à materia, & est principium formale essendi & subsistendi ipsi corpori, & toti composito: cum enim producat per creationem, per illam accipit propriam existentiam & subsistentiam, quam non amittit per hoc quod conjungitur corpori, sed potius illam comunicat non solum corpori, sed etiam toti humanitati. Unde in hoc distinguitur anima rationalis ab aliis formis corporeis & materialibus, quod illæ non subsistunt vel existunt per existentiam aut subsistentiam propriam, sed totius compositi, quam generans primò comunicat toti composito, secundò formæ, & mediante formâ materiæ. Anima verò rationalis recipit immediatè à Deo propriam subsistentiam & existentiam, quam comunicat corpori, & toti humanitati; unde anima rationalis; etiam dum est conjuncta corpori, subsistit & existit ut quod. Cum ergo (ut sæpè diximus) anima Christi, eodem modo sit facta subsistens per subsistentiam Verbi, quo fuisse subsistens subsistentiâ creatâ,

& sibi propriâ, dicendum est, animam Christi fuisse prius naturâ assumptam, quam corpus & totam humanitatem, non solum ut quo, sed etiam ut quod. Ipsum verò corpus solum fuit prius naturâ assumptum ut quo, non verò ut quod, quam tota humanitas; non enim eadem est ratio de corpore, ac de anima rationali; nam anima creatur à Deo per actionem specialem distinctam à generatione, vel productione totius, non autem corpus; unde quando generatur homo, datur animæ substantia independens à substantia totius humanitatis, non autem corpori, quod non subsistit, nec existit, nisi per substantiam & existentiam ipsius animæ rationalis.

9. Dices, Eundem profus ordinem servavit Verbum Divinum in prima assumptione humanitatis, ac in reassumptione facta in resurrectione, nulla enim videtur ratio disparitatis: At in resurrectione sic humanitas fuit reassumpta, ut tamen utraque ejus pars, anima scilicet & corpus, prius existentia & subsisterent ut quod: Ergo idem erit dicendum de prima assumptione.

10. Respondeo negando Majorem, nam in prima assumptione Verbum Divinum servavit, quantum fieri potuit, ordinem proportionatum ordini naturæ, juxta quem corpus non debuit prius assumi ut quod, cum propriâ substantiâ & existentia non gaudeat, sicut anima: At in reassumptione facta in resurrectione, non potuit iste ordo servari, quia dissoluta per mortem humanitate, utraque ejus pars abinvicem separata, subsistebat & existebat ut quod per substantiam & existentiam Verbi.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

11. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Assumptio facta est per communicationem divinæ substantiæ, quæ eodem modo & ordine debuit communicari humanitati, quo propria & connaturalis, ut enim supra dicebamus, non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: Sed substantia creata prius convenit toti humanitati, quam ejus partibus; quia convenit tantum partibus propter naturam totalem, & maxime parti materiali, quæ non potest subsistere nisi in toto: Ergo partes humanitatis non fuerunt prius assumptæ in executione, quam tota humanitas.

12. Confirmatur: Personalitas Verbi Divini est perfecta & completa: Ergo prius naturâ debuit communicari substantiæ completæ, qualis est tota humanitas, quam substantiæ incompletæ, qualis est anima rationalis, vel corpus, & per consequens partes non fuerunt prius naturâ assumptæ, quam tota humanitas.

13. Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Licet enim in compositis purè corporeis & materialibus, prius conveniat toti subsistere & existere, quam ejus partibus; in homine, tamen prius in executione convenit partibus humanitatis subsistere & existere, quam toti humanitati; animæ quidem rationali, quia creatur, creatio autem terminatur ad esse; corpori verò, quia prius naturâ informatur animâ rationali, subindeq; ejus substantiam & existentiam prius naturâ participat, quam tota humanitas resulter: Unde pro illo priori, tam anima quam corpus intelliguntur subsistere in seipsis, & non in toto, quamvis nullum sit reale instans, quo non subsistant in toto.

A Ad confirmationem, concessâ Antecedente, neganda est Consequentia; nam personalitas Verbi Divini, licet sit perfecta & completa, tamen ob infinitam suam perfectionem & eminentiam, potest uniri cuicumque substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, eique se accommodare eodem modo ac si esset propria ejus & connaturalis, quia eminenter continet quamcumque personalitatem creatam. Unde in triduo mortis Christi mansit unitum animæ & corpori separatis, quamvis essent substantiæ partiales & incompletæ.

B Objicies secundò contra secundam conclusionem: Unam partem assumi posterius naturâ, quam aliam, est eam assumi mediante illâ: At corpus non fuit assumptum mediante animâ: Ergo non fuit assumptum posterius naturâ, quam illa. Major patet, Minor probatur. Si Verbum Divinum assumpsisset corpus mediante animâ, sequeretur quod hoc ipso quod per mortem separata fuisset anima à corpore, dissoluta fuisset unio ipsius corporis cum Verbo, quoties enim aliqua inter se uniantur aliquo medio, si unum separaretur ab altero, dissolvitur unio; sicut remota superficie, removeretur color à corpore, quia illi inest, mediante superficie: Consequens autem est falsum, quia corpus in triduo fuit separatum ab anima, & tamen mansit hypostaticè unitum Verbo Divino: Ergo Verbum non assumpsit corpus mediante animâ.

C Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem negatur sequela, & ad illius probationem, dicendum cum S. Thoma hic art. 1. ad 3. quod nihil prohibet aliquid esse causam alicujus, quantum ad aptitudinem & congruitatem, quo tamen remoto illud non tollitur; quia etsi fieri alicujus dependeat ab aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet: sicut si inter aliquos amicitia causatur, aliquo mediante, eo recedente, adhuc amicitia remanet; & si aliqua in matrimonio ducitur propter pulchritudinem, que facit congruitatem in muliere ad copulam conjugalem, tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula conjugalis. Et similiter separata animâ, remanet unio Verbi ad carnem.

## ARTICVLVS II.

Vtrum gratia habitualis habuerit rationem mediæ, seu dispositionis physicæ, aut moralis, ad unionem hypostaticam?

A **A**ffirmant Alensis, Gabriel, & alij antiqui Theologi, ex hoc inferentes solam naturam intellectualem, quæ est capax gratiæ & beatitudinis, posse assumi à Persona Divina. Negat verò D. Thomas hic art. 6. & quæst. sequenti art. 13. & supra quæst. 2. art. 10. quem sequuntur communiter Theologi, tam domestici, quam extranei, cum quibus

Dico, gratiam habitalem in anima Christi existentem, non habuisse rationem mediæ, seu dispositionis physicæ, aut moralis, ad unionem hypostaticam cum Verbo: posse tamen dici medium congruentiæ respectu hujus unionis.

18. Prima pars probatur: Dispositio physica & ex natura rei, debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, & illam necessariò secum trahere, omniaque quæ illius introductionem impediunt destruere: Sed gratia habitualis non habet tres illas condiciones, respectu unionis hypostaticæ: Ergo non est, nec dici potest dispositio